

## De Rationibus quasi, &c.

27

pulsare. Igitur consilium nostrum est, rationes omnes, quibus quasi a priori Theologi, secundum varietatem sententiarum, Dei existentiam demonstrare intendunt, in medium afferre; illisque omnibus, quod est commune intentum, defendere, & pugnare. Etsi enim una altera sit efficacior, minus tamen efficaces satis est scire, quam rejicere; illisque expositis, ac potius in ruto positis, quam in aciem vocatis, efficaciori conabimur adhædere.

Antonius Perez, Socioratis Jesu, disp. 1. deo cap. 4. putat quasi a priori Dei existentiam demonstrare, per hoc, quod eam, prober per aliquid divinum prædicatum, ut non collectum discursu facto ex creaturis. Duabus proinde demonstrationibus hisce, quas suis in verbis afferimus, rem, confecisse, existimat. Primum sic proponebit: Nullum bonum est chimæra; sed ens carens omni defectu est bonum. Ergo ens carens omni defectu non est chimæra: Atqui ens potens non existere non caret omni defectu: Ergo ens carens omni defectu non potest non existere: Ergo existit essentialiter. Secundam sic concipit: Non est defectus, non perveniente aliquid ad hoc, ut non sit chimæra; sed est defectus, non perveniente ad hoc, ut sit optimum, habens cumulum omnium perfectionum: Ergo optimum non est chimæra. Re vera rationes istæ adeo premunt Atheum, ut quavis aliquando dicat, Deum esse impossibilem, ne fateatur esse existentem; his tamen rationibus pressus, quum nequeat dicere, Deum esse impossibilem, seu chimæram; hoc ipso cogitur afferere, Deum existere. Et quum prædicarum hoc, non esse impossibilem, non esse chimæram, non sit prædicatum ex discursu facto ex creaturis collectum; hoc ipso quod per illud Dei existentia probatur, quasi a priori demonstratur.

Renatus des-Cartes, nostrorum temporum Philosophus, a quo ingenio, ac eloquio, acutissimus, meditatione tertia, de Deo, quod existat, sic primum a posteriori demonstrat. Est in nobis Idea Dei: Ergo Deus necessario existit. Consequens probatur. Hæc Idea Dei, quæ in nobis est, non potest esse a nobis: Ergo debet esse, necessario a Deo: Ergo si in nobis est Idea Dei, Deus necessario existit. Probatus antecedens ipsiusmet Cartesii verbis: Quavis substantiæ quædam Idea in me sit, ex hoc ipso, quod sum substantia; non tamen ictio esse Idea substantiæ infinitæ, quum sum finitus, si non ab aliqua substantia,

PAR. I.

que revera esset infinita, procederem: Postmodum probat quasi a priori, more Geometrico, ut ipse dicit, in propositione prima, cui titulus, Dei existentia ex sola ejus natura consideratione cognoscitur. Idem est dicere, aliquid in rei alicujus natura, sive conceptu, contineri, ac dicere, id ipsum de ea re esse verum; atqui existentia necessario in Dei conceptu continetur: Ergo verum est de Deo dicere, necessariam existentiam in eo esse, sive ipsum necessario existere. Vel clarius. Id de qualibet re debemus certo affirmare, quod in ejusdem Idea clara cognoscimus; in Idea clara Dei cognoscimus existentiam: Ergo certo de Deo debemus existentiam affirmare. Vel alio modo. Ens perfectissimum venit Dei nomine; hæc enim est Idea Dei. Eni perfectissimo, vel convenit existere, vel non convenit? Si convenit? Habemus intentum: Si non convenit? Non erit amplius ens perfectissimum, sed potius ens imperfectissimum; deficiet enim ei maxima perfectio, immo perfectionum omnium basis, quæ est existentia.

Martinus Esparza, laudari Perez discipulus, ex propositionibus æternæ veritatis existentiam Dei demonstrat quasi a priori quæst. 2. de Deo ar. 4. hoc pacto. Dantur veritates aliquæ objectivæ simpliciter necessarie, & essentialiter invariabilis, & æternæ, quia dantur huiusmodi veritates formales, que necessario debent ab objectivis dependere; cujusmodi sunt; quodlibet est, vel non est; impossibile est, idem simul esse, & non esse, &c. Veritas autem objectiva est passio entis realis indistincta realiter ab eodem, ut ex metaphysicis. Ergo si datur a parte rei veritas æterna, necessaria, invariabilis, debet etiam dari entitas æterna, necessaria, invariabilis, in qua talis veritas, tanquam sua passio, fundetur. Datur ergo a parte rei ens simpliciter necessarium, essentialiter invariabile, & æternum, quod est Deus.

Tandem P. Emmanuel Magnus, Ordinis nostri profundissimus Philosophus, ac Theologus acutissimus, Dei existentiam, quasi a priori ex possibiliitate entis summe necessarii demonstrare contendit. Ex eo scilicet, quod non implicet, seu non repugnet, Deum existere, infert, Deum existentia exercita de facto existere. Esto enim Deus sit non solum ille, cui non repugnat esse, sed ex se sit summum esse; præsuppositive, tamen, & virtualiter, in ipso includitur non repugnantia ad esse. Hæc autem non repugnantia ad esse.

D 2 gnan-